

eadem manent intervalla. Semitonia enim suo loco non moventur, sed se in utraq; forma eodem modo & ordine & eadem distantia habent, quapropter nec species Ἐ Ἀγὸ τέριε & Ἀγὸ τεωάρεωv mutari possunt, cum partes ejus integrè permaneant, nec etiam clausula, nec ambitus, nec species cētava, nec finis. Atq; ita utrobiq; eadem cantilena manet, & eosdem utrobiq; effectus producit. At, inquires, claves tamen mutantur, ergo fieri non potest, quin quedam mutatio accidat in cantu? Respondeo clavibus nullas inesse vires ad cantum mutandum, sed pertinere tantum ad systema Musicum distinguendum, an sit regulare, an verò transpositum, & signatas illas tres claves ferè sufficere in quolibet cantu. Ea enim, si indicent ubi clavis C locum habeat in regulari systemate, aut F. in transposito, tam in sonis acutis, quam in mediis & gravibus, applicationem vocum Musicalium in ea cantilena simul monstrarunt, atq; ita suo officio perfunctæ sunt, nec amplius magnum aliquem usum habent, cum ex dato initio vocum Musicalium detur ambitus earundem tam ascendendo, quam descen-